



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

20. Carina diu abest domo suâ: & post longam inquisitionem è fonte in medijs plateis extracta rectè in loco sacro sepelitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

dubio, sed certo & verissimo, ita vt contraria opinio vnus & alterius nullâ aliâ ratione nixa minimè dubium moueat, vel probabilitatem mereatur.

XX. *Carina vxor aliquot diebus domo suâ abest, & diu multumque à viro suo quæ sita nequit vsquam reperiri, aut sciri ex vllò, quò deuenit, donec post tres hebdomades ex fonte quodam in medijs plateis sito mortua fuerit extracta. Queritur, Vtrum sepeliri in loco sacro possit?*

Videtur non posse. Ita cum nonnullis Diana P. 5. Tr. 3. Resol. 100. quia præsumitur se ipsam interemisse.

Resp. Carinam in loco sacro sepeliendam esse. Ita Trulench Tr. de iure Parochi. c. 9. dub. 6. n. 10. Barbosa de Parocho. p. 3. c. 26. n. 49. & plures apud hunc. Ratio est, quia inter duas præsumptiones simul concurrentes, cæteris paribus, illa præualere debet, quæ delictum excludit, & fauorem continet, vt docet Menoch. cas. 89. num. 23. Ergo cum hîc sint duæ præsumptiones, vna quod Carina ex desperatione se ipsam præcipitauerit: altera quod ex mentis alienatione id fecerit, vel per insidias, aut vim ab alio delecta fuerit, & non magis hoc, quàm illud constet, posterior præsumptio præualere debet priori; cum vniuersim in dubio minus delictum sit præsumendum. *l. meritò. ff. pro socio.* nec quisquam est præsumendus, violentas sibi manus inferre volu-

voluisse, siquidem vnicuique à natura datum, vt se ipsum, quàm potest maximè, seruet & tueatur. *Atque ex his patet ad rationē in contrarium.*

XXI. *Chrysoſtomus Presbyter & insignis Ecclesiastes rogatur à Parocho quodam, vt in dedicatione templi sui ad confluentem magnum populum dicere ex cathedra velit, annuit ille, sed hoc pacto, vt & prandiū liberale & aureū daturū se pollineatur Parocho. Consentit in pactū Parocho, & habita concione Chrysoſtomo lautum prandium exhibet, atque abeunti promissum aureum porrigit. Queritur. Virum loquendo de solo actu concionandi, abstrahendo à labore, sustentatione, vel alio titulo, &c. simonia simul & iniustitia fuerit commissa?*

Videtur nullam commissam esse simoniam accipiendo aliquid pro actu concionandi, cum concionari sit functio Theologiæ, pro qua tradenda aliquid posse dari & accipi, patet ex praxi, & cum pluribus docet Suarez l. 4. de Sim. c. 18. n. 7. & 9. aut profectò non solum simonia, sed etiam iniustitia fuisset commissa, cum Chrysoſtomus nullum habuisset ius accipiendi aliquid à Parocho, vt tradunt Suarez lo. cit. c. 4. n. 7. Lessius c. 35. n. 162. Layman l. 4. rr. 10. c. 7. n. 5. & alij.

Resp. In proposito casu fuisse quidem commissam simoniam, nullam autem iniustitiam. Primam partem tradunt S. Thom. 2. 2.